



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XCII. Alienationis Feudi. ubi examinatur, an, & cum quorum
consensu Feudum alienari possit ad extinguenda debita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)



CONSILIO XCH.

In causa Vasalli, volentis alienare feudum, ad extinguenda debita, à le contracta.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti species.

6. 7. Ad alienationem Feudi requiritur consensus domini directi, & agnatorum.

8. seqq. Feudum à patre alienatum filius heres revocare non potest.

12. Deciditur Controversia.

FACTI SPECIES.

I.



Empronius possidet diversa feuda, partim promiscua, seu feminina, partim verò masculina, in Brisgoja, Alsatia, & Episcopatu Basileensi. Hic à multis jam annis se gravatum, & oneratum ære alieno sentit, quo tamen, etiam adhibitæ diligentia, & studio, neque ex propriâ suâ substantiâ, neque ex salariis, & stipendiis, quæ in servitiis Principum, non exiguo cum labore locatis, obtinuit, ob numerosam suam familiam, & alias supervenientes causas hucusque se liberare potuit, & difficulter etiam, licet duratura esset diutius ejusdem vita, absque remedio aliquo extraordinario, extricare se poterit. Hinc time-re possunt illius credores, alioquin etiam summe privilegiati, ne in casum secuturæ mortis Sempronii, vel quoad credita sua, sinon in totum, saltē in partem magno periculo exponantur, vel saltē cum Sempronii filio, & unico familiae agnato, & surculo in dispendiosas lites incident, nisi iste obligationibus paternis, prout sperandum de eo est, sponte satisfacere velit.

2. Inter remedia extraordinaria, quibus dictum æs alienum expungendum, & rem suam in meliorem statum reducendam sperat Sempronius, unicum illud affulget, si unum, vel alterum feudum, à se possedit, alienet, & ex pretio, inderacto, creditoribus satisfaciatur. Seriâ delibera-tione adhibitæ, inclinat ille ad alienationem feudorum, quæ possidet in Alsatia,

ex duplice sanè capite, quorum primum est, quod timendum sit, ne dicta feuda, ingruente forsitan bello, id quod sæpius jam dolenter expertus est, confiscationi iterum reddantur obnoxia; alterum autem, quod eadem feuda ob distantiam locorum, & eorum situationem vix utiliter à Sempronio administrari possint.

Non ignotum est Vasallo Sempronio, quod in genere loquendo, & abstrahendo ab alienatione quadem necessariâ (ubi tantæ solennitates absque dubio non requiruntur) ad hoc, ut licet, & validè feudum alienari possit, de jure duo maximè postulentur, consensus nempe domini directi, quippe cui invito alias vasallus non potest obtrudi, & similiter etiam consensus Agnatorum, quippe qui, nisi in alienationem consentiant, per notoria iura, mortuo Vasallo alienatore, feudum alienatum à successore sibi iterum vindicandi jus habent.

Primo requisito abunde jam satisfactum est, dum Sempronius sumptibus ad hoc negotium jamjam expensis consensum Regium jam ante sex circiter menses obtinuit, cum hac quidem restrictione, ut dicta alienatio non nisi in favorem subditi Regii, in Alsatia degentis, fieri debeat, & possit. Restrictioni ergo isti, & conditioni apposita Sempronius satisfacere volens, commercium literarum instituit cum diversis nobilibus, & Vasallis Regiis dictæ Provincia, remque eo deduxit, ut, mediante tractatu proximè in eundo, sæpede-
ta alienatio feudorum, ab ipso ibidem possessorum, ad suum complementum possit pervenire.

Ut verò securitas plenaria futuro Em-patori feudorum istorum desuper præstari queat, etiam de altero requisito, seu de con-

consensu Agnatorum, ex quibus unicus superstes est Sempronii filius, tutum eundem emporem praestare allaborat. Judicavit ergo Sempronius, huic requisito ita satisfieri posse, si filio huic suo à praesidio nobilitatis Equestris, seu prima instantia, ut vocant in Brisgoja, specialis ad hunc actum alienationis curator ex dicta nobilitate constituantur, coram quo ostendatur utilitas, vel etiam necessitas in hoc rerum statu atripiendi hoc remedium extraordinarium alienationis, quippe cum ob defectum bonorum allodialium aliud remedium solvendi debita non super sit; qui etiam, alienatione facta, simul docetur, quomodo pecuniae, & numimi, exinde obtenti, in utilitatem familie, ad expungenda scilicet paterna debita, à patre alienatore expensi fuerint. Hac specie facti positâ,

QUÆRITUR I.

An consensus Regius, & filii nomine, à curatore dicto modo in ordine ad alienationem feudi faciendam procuratus, sufficiat ad hoc licite, & valide alienandum?

6. Rationes pro affirmativa proponuntur sequentes. 1. Sempronius hereditatem paternam non sine ære alieno adiit, consequenter, tanquam hæres patris sui, tenebatur ad debita patris sui, & antecessorum suorum, feudi hujus possessorum, deficientibus bonis allodialibus, saltem ex fructibus feudalibus solvere. 2. ista ille, prout doceri potest, exsolvit. 3. debita autem moderna partim ob calamitates publicas belli, partim ob privatas grandinis, ruinæ ædificiorum &c. præcipue vero 4. ideo fuerunt contracta, quia Sempronius sat numerosam suam familiam neque ex propriis redditibus, neque ex salariis, quæ à tempore, quo Serenissimus Principis servitia sua in Germania præstítit, ipse obtinuit, secundum exigentiam educare potuit. 5. Feuda, in Alsacia sita, quæ Sempronius alienare cogitat, teste experientia, ob eorum longè dissipata, & iat periculosam situationem non solum cum utilitate administrari non possunt, sed etiam, ingruente forsan ruris bello, confiscationi, & totali ruinæ obnoxia erunt. Consequenter 6. cum filius, si hæres sit patris, teneatur suscipere etiam debita, à patre relata, in hoc ipsius filii utilitas, quippe qui per talēm alienationem feudorum, non sat'sibi utilium, liberatur ab onere solvendi debita, relata à patre, ad quorum solutionem, si confiscarentur hæc feuda, incapax alias fieret. Augetur 7. utilitas ista etiam ex eo, quia Sempronius consensum

Regium ad hanc alienationem faciendam jam obtinuit, qui consensus, si alienatio in longum traheretur, sortasse ob non usum tolleretur, cum manifesto periculo eundem non amplius obtinendi, sicque ejusdem Sempronii filius à creditoribus, utpote summe privilegiatis, haud dubie, nisi à patre solverentur hæc debita, ob ista perpetuam vexationem pati deberet.

His consideratis, judico, distinguendum esse, an feuda ista, in Alsacia sita, sint promiscua, seu foemina, an vero masculina, & propria, seu ex pacto, & providentia. Si primum, & Sempronius habeat filias, & sibi cognatas foeminas, necessarius etiam foret harum consensus; nam iisdem etiam in prima investitura qualitatem est jus, ut saltem, deficiente omni masculina stirpe, possint in iis succedere; quod autem singulorum interest, juxta

Reg. quod omnes 29. de R. J. in 6. ab omnibus approbari debet. Aliud est in casu secundo, nimis quando feudum alienandum est masculinum, seu proprium, ex pacto, & providentia, & unus dunt taxat adeat Agnatus; tunc enim, cum filia, & alia Collaterales cognatae, vel cognati, ex foeminiis descendentes, in hujusmodi feudo non succedant, illius unius superstitis cognati consensus una cum consensu domini directi sufficit, praesertim, quando hic agnatus, ut in casu præsenti, est filius alienantis, & hæres futurus ejusdem; tunc enim pater, hujus, vel si hic pupillus, aut minor sit, cutatoris ejusdem consensu obtento, accedente insuper confirmatione judicis, ad alienationem talis feudi, si evidens utilitas, & magis si necessitas hoc reposcat, tutò potest procedere; nam consensus curatoris, accedente autoritate judicis, universaliter habetur pro consensu pupilli, vel minoris. Sufficiet ergo in casu substrato ad securitatem plenariam emptori feudi alienandi præstandam, si Sempronius post consensum regium imperatum, procuret etiam consensum curatoris pro filio suo constituti, huncque consensum à judge, nempe à præsidio nobilitatis Equestris in Brisgoja, confirmari faciat.

QUÆRITUR II.

An ad alienandum feendum antiquum (quale est præsens) consensus filiorum ita sit necessarius, ut eo non requisito, filii alienantis feendum sic alienatum revertere possint?

- VIdetur idem dicendum de filiis, quod de aliis agnatis, ita ut, sicut isti, consensu illorum non requisito, ita & il-

(Kkk kk3)

li feudum alienatum tali casu revocare possint, idque ob triplicem rationem. Una est, quia etiam filii sunt agnati.

l. filius 12. ff. de suis, & legitim. bāred.

ergo, sicut pariter succedunt, ita pariter revocare feudum, sine consensu suo alienatum, poterunt. Altera autem, quia in feudo antiquo ex prima investitura non minus jus quæsumum est filiis, quam cæteris agnatis. Igitur non minus illi, quam isti revocare alienationem, sine suo consensu factam, poterunt. Tertia denique sumitur à paritate cum feudo novo, quod filii, si absque suo consensu alienatum à patre sit, revocare possunt.

9. Sed probabilior videtur negativa, quam etiam defendunt

Vult. de feud. p. 1. c. 11. n. 88. Hartm. Pistor. p. 2. q. 13. n. 34. & seqq. Carpz. p. 2. const. 48. de fin. 9. n. 2. & seqq. Richter. decis. 2. 9. n. 4. & 7. Christoph. de Chlingensperg de feud. c. 11. q. 13.

juxta quos, saltem, si filius hæres patris alienantis sit, & evidens utilitas, vel necessitas alienationem urgeat, revocare feudum antiquum, sine consensu suo alienatum, non potest. Ratio est imò quia in jure feudali hoc jus revocandi filiis nusquam vel verbulo quidem unico datur. 2. quia ratio agnatos admittens, in filiis, & cæteris descendantibus cessat; ideo enim agnati feudum revocare possunt, quia causam non à Vasallo alienante, sed per investitoram à communi stipite, à quo illud ad alienantem venit, obtinuerunt. At filii non tam beneficio primi acquirentis, quam mediante persona patris sui succedunt, & ab ipso patre feudum capiunt; quod inde colligitur, quia aliás, si ab avo proximè defuncto, & non à patre feudum obtineret filius, sanè patruus filii, qui avo propinquior gradu est, filio excluso, succederet, de quo tamen contrarium liquet. ergo &c.

10.

Addidi, saltem, si filius patris alienantis hæres sit; nam, si patris hæres non est, Carpzov. loc. cit. & alii cum isto existimant, tali casu filium revocare posse feudum, sine consensu suo alienatum. Ratio disparitatis est, quia, si filius hæres patris sit, omnes hujus obligationes activas, & passivas in se recipit, consequenter etiam debita, à patre relicta, atque adeò pater alienans feudum ob debita, quæ aliás, nisi per alienationem feudi, solvi non possunt, hujus etiam causam, immunem il-

lum præstando à debitis, agit. Alia ratio est, si filius patris hæres non sit; tunc enim factum patris præstare non obligatur, atque adeò revocare feudum, à patre alienatum, potest.

Argumenta, in contrarium allata, non convincunt. Ad 1. secundum mores feudales filii sub Agnatorum nomine non comprehenduntur, sed ab his contradistinguuntur.

lib. 1. feud. tit. 8. lib. 2. feud. tit. 11. tit. 31. tit. 37. tit. 45.

in cuius ultimi textu statuitur, quod Agnatus, si contigerit Vasallum sine omni prole decedere, possit repudiata hæreditatem, feudum, si paternum sit, retinere; ubi vero filium reliquit, ipse non possit hæreditatem sine beneficio (seu feudo) repudiare, sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet. Ad 2. filiis ex prima investitura non aliter jus ad feudum quæsumum est, nisi mediante patre; unde si iste hoc antè abdicavit, illud ad filios non transmittet. Ad 3. in casu feudi novi filii, utpote horum nominibus in investitura expressis, non tam à patre, quam à primo concedente, & ex gratia domini feudum consequuntur. ergo in eo ipsis à patre præjudicari non potuit, sed merito iis actio revocatoria dabitur.

Conclusio hujus Controversiæ.

12. Icendum proin imò proposita facti specie in robore suo stante, adesse necessitatem alienandi feudum ob debita, quæ aliter ponuntur non posse expungi. Et hinc sequitur 2. hanc alienationem cedere in utilitatem filii non tantum, ut liber sit a rebus alieni onere, quod ipse, mortuo patre Sempronio, tanquam istius hæres, tenetur exsolvere, sed etiam, quia ipsum feudum satis periculoſo stat loco, ut dictum est num. 6. Et propterea 3. justissime ipse consentire tenebitur, cujus consensum proin, cum sit etiamnum minor, Curator, ipsi datus à judice, supplere poterit. Imo, ut dictum est num. 9. 4. etiamsi, irrequisito consensu filii, Sempronius feudum hoc in ista sua necessitate ad debita expungenda distrahat, propterea tamen filius alienationem hujus revocare non poterit. Consequenter 5. Consensus istius, vel curatoris loco illius solum erit necessarius ad melius esse, atque sic, juncto etiam consensu regio, hujus feudi emptor in plenaria securitate constituetur. Ita salvò meliore &c.

CON-